

## **Dissertationum medicarum Marburgensium.**

### **Contributors**

Philipps-Universität Marburg.  
Royal College of Surgeons of England

### **Publication/Creation**

Marburgi : In officina Libraria Academiae Novae, 1796.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/akavkd9v>

### **Provider**

Royal College of Surgeons

### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIONUM  
MEDICARUM

M A R B U R G E N S I U M.

A 374



FASCICULUS VI.

---

MARBURGI

IN OFFICINA LIBRARIA ACADEMIAE NOVAE.

1796.

34

MUSEUM HISTORICUM

MUSEUM

MUSEUM



MUSEUM

MUSEUM

MUSEUM

DISSERTATIO  
INAUGURALIS MEDICA.

---

DE  
*HAEMORRHAGIIS UTERI.*

---

QVAM  
SUB AUSPICIIS  
SERENISSIMI AC POTENTISSIMI  
PRINCIPIS ET DOMINI  
DNI **GUILIELMI IX.**

HASSIAE LANDGRAVII REL.

EX INCLYTI  
MEDICORUM ORDINIS DECRETO  
PRO GRADU DOCTORIS  
MEDICINAE, CHIRURGIAE ET ARTIS  
OBSTETRICIAE

RITE OBTINENDO

publicae eruditorum disquisitioni submittit

*HENRICUS LUDOVICUS BUSCH*


Marburgo Hassus.

---

Die IV. Jul. CIOCCCLXXXV.

---

MARBURGI CATTORUM  
LITERIS TYPOGRAPH. ACADEM.




INCLYTAE  
MEDICORUM FACULTATIS  
MARBURGENSIS  
PROFESSORIBUS EXPERIENTISSIMIS  
LONGEQVE CELEBERRIMIS  
*PRAECEPTORIBUS SUIS MERITISSIMIS*

OB

MULTA IN SE COLLATA BENEFICIA  
HANCCE DISSERTATIONEM INAUGURALEM

SACRAM VULT

AUCTOR.



---

## PROOEMIUM.

---

*Quum finitis studiis academicis specimen inaugurale conscribere cogitarem, mihi non inutile videbatur fore, de haemorrhagiis uteri, in medium quaedam proferre. Etsi iam insignis Dissertationum, de hac materie agentium, exslet numerus, nihilominus ad rem me accinxi, praesertim, cum plerique singulas tantum pertractaverint species, quas omnes in dissertatiuncula mea, quantum per virium, temporis et spatii angu-*



*angustiam licebit perscrutari studebo.  
Accipe B. L. opusculum, non a ma-  
gistro, sed a tirone medico, experien-  
tia adhuc destituto, conscriptum.*

*Liceat mihi, antequam rem ipsam  
aggredior, dissertationes nonnullas re-  
censere, quae eandem materiam tractantes  
iam in lucem prodierunt.*

*J. C. Beyer diff. de uter. haemorrhag.  
Argentor. 1781.*

*F. C. Bruch Beobachtungen über die vor-  
theilhafte Anwendung der kalten Auf-  
schläge bey Gebärmutter - Blutstürzen,  
mit sizzengebliebener Nachgeburt. Mar-  
burg 1793.*

*D. G. Bruning diff. de pathol. et therap.  
lochior. Hal. 1773.*

*J. Burgaver diff. de haemorrhag. uter.  
Goetting. 1771. praes. Schröder.*

J. H.

- J. H. Dolleus *diss. de haemorrhag. gravidar. Basl. 1750.*
- F. J. Erich *diss. de mensium fluxu immod. Jenae 1688. praef. Wedelius.*
- E. C. Goetzius *diss. de salubritat. haemorrhag. uter. Erlang. 1744.*
- J. W. Gulbrand *diss. de sanguifluxu uterin. Havniae 1774. praef. Saxdorph.*
- H. L. Henke *diss. de haemorrhag. uterin. nociv. Erf. 1791.*
- J. Hopff *diss. de haemorrhag. uter. 1763.*
- J. H. Hurter *diss. de sanguifluxu uterin. Goetting. 1792.*
- P. J. Oberlin *diss. de haemorrhag. uter. Argentor. 1767.*
- J. Saal *diss. de haemorrhag. uter. Anglip. 1783.*
- J. A. Schaubach *dissert. de partu cum haemorrhag. uterin. conjunct. Jenae 1762. praef. Kaltschmied.*


J. G. Schmidt *diss. de haemorrhag. uter. post part. nimia. Jenae 1758. praes. Kalt-  
schmied.*

P. G. Schroeder *diss. de haemorrhag. uter. Goett. 1771.*

W. E. Stüve *diss. de haemorrhag. uter. Goetting. 1780.*

J. H. Sulzbeck *diss. de haemorrhag. uter. Wirceb. 1788.*

De  
*Haemorrhagiis uteri.*



§. I.

**H**aemorrhagia uteri vocatur, sanguinis praeter naturam, et copiose contingens ex utero exitus; fit autem diabrosi, diapedesi, anastomosi, diaeresi. An ex arteriis, an ex venis erumpat sanguis, contendere non ausus sum;

sum. Nonnulli *a)* volunt, eruptionem fieri e venis; Sed alii *b)*, fieri ex arteriis.

§. II.

Optima mihi uteri haemorrhagiarum divisio videtur, et temporum varietatibus, quas sexus sequior subire debet, desumenda. Est itaque haemorrhagia:

A.

---

*a)* HERTWICH diff. de haemorrhag. in genere, sic ait: „probabilius rumpere e venis, et quidem hanc ob causam: 1mo si nempe ex arteriis sanguis flueret, ut plurimum haemorrhagiarum affectus essent lethales; 2mo quoniam structura venarum tenuior est arteriarum.

*b)* SCHMIDT diff. de haemorrhag. uter. post part. nimia; ille vero dicit: „ordinarie est arteriosus, hoc adparet non solum ex colore florido, ciunabarino, verum etiam ex ingenti virium prostratione, quae consequitur, quia sanguis arteriosus est magis spirituosus etc.

**A. extra statum gravidatis**

- a) fluxus menstruus nimius
- b) haemorrhagia a polypo orta
- c) haemorrhagia ex uteri scirrho originem ducens.
- d) haemorrhagia virginum, et mulierum non gravidarum,
- e) haemorrhagia vetularum.

**B. in statu gravidatis**

- a) menses pergentes,
- b) sanguis qui menstruis semel, vel pluries iam deficientibus, inopinato prodit,
- c) placenta praevia,
- d) post emissum abortum, vel partum praematurum.

**C. in partu ipso**

- a) a solutione placentae,
- b) a ruptura funiculi umbilicalis vel vasis eius cuiusdam.

**D.**

D. post partum.

- a) haemorrhagia ab atonia uteri,
- b) haemorrhagia a parte placentae relicta,
- c) ab uteri inversione haemorrhagia,
- d) haemorrhagia interna, sive occulta.

Sed ultima haec haemorrhagiae species etiam in partu ipso locum habere potest.

§. III.

Fluxus mensium nimius: hac de specie primum a me tractandum erit. Tribus in modis *c)* delinquere potest, vel respectu quantitatis, vel durationis, vel temporis: et plurimae harum specierum adesse possunt, sed hoc nihil refert. Delinquit quantitate fluxus menstruus, si maior sanguinis copia, singulis mensibus effluit, quam illaesa sanitate fieri potest.

---

*c)* ASTRUC Traité des Malad. des Femmes.

potest. Plus fert plethora, plus clima, in quo mulieres habitant: et hoc idem fere de duratione valet. Sed ratione temporis delinquit, si e. g. puellae, adhuc non puberes, menstruatae sunt, vel si vetulae, menstruatione iam exsiccata, interdum mensibus praeditae sunt. Sic quoque si puella, singulis quatuordecim diebus, aut singulis octo diebus, menstruata est: nec minus huc pertinet ille casus, si menses continuo fluxu stillant, quod vulgo stillicidium uteri vocatur.

#### §. IV.

Causae hunc fluxum nimium producunt multiplices sunt. Causae remotiores sunt: subitanea atmosphaerae immutatio, calor nimius; nam tempore aestivo magis hunc morbum invenimus. Omnia, quae sanguinis motum augent; huc pertinent, omnes corporis  
motus



motus nimii; frictio quaedam partium genitalium vel masturbatione, vel coitu frequentiore, et ascaridibus partibus genitalibus inhaerentibus. Affectus animi quoque inter has causas ponendi sunt; obstructiones viscerum abdominalium, et sordes primarum viarum biliosae, congestiones uterum versus excitantes, ipsa denique mensium suppressio *d*). Causae occasionales, inter alias hae sunt: plethora, tam universalis, quam partialis; nimia irritabilitas totius nervorum systematis, nimia laxitas totius corporis; quaedam ad haemorrhagias proclivitas; omnes denique laesiones externae et internae etc.

§. V.

In diagnosi ponenda, non solum ad ipsum fluxum mensium nimium respiciendum est, sed

et

---

*d*) LEVRET Suite des Observ. 47.

et praesertim in consequentiam eventorum; nam fluxus nimius, qui in una puella, perniciosus et morbosus est, in altera, non extra limites sanitatis, ponendus est: confert ad hocce phaenomenon, vitae genus, sensibilitas nervorum aucta, corporis nimia laxitas, vel robur etc. Signa nonnulla morbosa haec sunt: Debilitas totius corporis, pulsus parvus, mollis, pallor in ore, extremitates frigidae, inappetentia, macies, obstructions viscerum abdominalium, status cachecticus, oedema pedum e) etc.

§. VI.

Quod ad prognosin attinet, praesertim ad triplicem modum, quo peccare solet fluxus mensium, respiciendum est. Ex confluxu ma-

---

iori,

e) ASTRUC l, c.

iori, minorive harum conditionum, magis, minusve, redditur periculosus hic morbus. Quo saepius fluxum hunc foemina perpeffa est, eo difficilior, curatio evadet. Menses, qui praematuri fluunt, ad phtisin disponunt *f*). Menses, qui statutum a natura, tempus excedunt, hydropem minitantur *g*). Longior difficiliorque est fluxus mensium, ab obstructione viscerum abdominalium.

### §. VII.

Venimus nunc ad curationem fluxus mensium nimii: praesertim ad causas fluxus praecipuas ferentes, respiciendum est.

I. Si debilitas processuum venarum causa est, adstringentia sunt adhibenda: e. g.

Myr-

---

*f*) SELLE med. clin. p. 174.

*g*) Ibid.

Myrtus, rad. tormentillae, rad. pim-  
nellae, cortex recens, aurant. virid. vis-  
cus quercinus, balsamus indicus et cana-  
densis, corn. cervi praep. bolus armena,  
acida vegetabilia et mineralia, alumen,  
Gummi Kino etc.

II. In dilaceratione venarum, conglutinantia  
sunt praescribenda, e. g. dec. verbasc.,  
hyperic., cariophyl. Gummi arab., tra-  
gant., Decoct. rasur. ligni lentiscini, syr.  
agrestae.

III. Si obstructiones uteri adfunt, resolven-  
tia adhibenda sunt.

IV. Quando plures caussarum species con-  
currunt, e. g. debilitas et dilaceratio etc.  
tunc remedia antedicta sunt coniungenda.

V. In omnibus hisce casibus remedia ex-  
terna adhibere possumus, fomentationes

frigidas, emplastra, iniectiones, pediluvia, pessaria etc.

§. VIII.

Venio nunc ad haemorrhagiam originem e polypo uteri ducentem. Haec a fluxu mensium nimio praesertim in eo aberrat, ut non certos periodos a natura statutos mensium teneat, sed irregulariter potius oriatur. Sed antequam ad descriptionem haemorrhagiae, a polypo ortae, transgredior, liceat mihi definitionem morbi praemittere. Est autem polypus uteri nihil aliud, quam excrescentia lymphatico-carnosa, quibusdam partibus uteri insidens, undique libera, radice angustiori. Polyporum genera triplici modo dividuntur: ratione insertionis, consistentiae, et indolis, quae divisio ad diagnosin ponendam, magni est momenti. De insertione polypi, hoc no-

tatu

tatu dignum mihi videtur: Polypus radicē sua inhaeret, vel fundo cavi uteri, vel superficiei internae colli uteri, vel margini orificii uteri.

§. IX.

Quod ad causas attinet, nonnulli sibi persuasum habuerunt, frustulum placentae relictum, fundamentum polypi constituere; sed ut mihi videtur haec opinio locum habere non potest; nam exstant exempla, puellas duorum annorum polypis uteri correptas esse *b)*, in quibus tamen omnis suspicio frustuli a placentae relicti, sponte evanescit. Polypos etiam narium invenimus, nonne hi etiam a frustulo placentae relicto originem ducunt? Inter omnes, qui de hac materia scripserunt. ASTRUC *i)*

B 2

pal-

---

*b)* RICHTER Chir. Bibl. 6. B. 3. St.

*i)* l. c.

palnam ceteris praeripuit: breviter praecipuas eius rationes comprehendam.

I. Internae laesiones uteri, caussae sunt cur postea polypi orientur, istae vero efficiuntur:

a) imprudenti tractatione, ac violatione uteri durante partu;

b) adhaesione guttularum acrium in utero, quae ibidem per irritationem sensim, sensimque fundamentum huius periculossissimi morbi struunt. Hae guttulae e. g. sunt acrimonia fluoris albi, vel virus venereum, vel iniectiones, ad virus venereum tollendum adhibitae nimis corrosivae.

II. Relaxatio unius vel alterius regionis uteri, ex nimia extensione tempore graviditatis.

Caus.

Cauffas praedisponentes huius morbi, explicare non possum: alio enim modo oriuntur polypi e. g. in puellis immaturis, vel in externa uteri superficie etc. Ideoque sententiae STARKII *k)*, dispositionem quandam partibus genitalibus inesse, qua haec vel illa uteri, vel vaginae regio, nimis laxior reddita fit, ut istae partes ad connexum solvendum proniores, reddantur, et inde stases et obstructions spissorum et acrium humorum, cum omnibus sequelis nociferis procreentur, lubentissime accedo.

§. X.

Nunc vero mihi aliquid dicendum erit de effectu, quo polypus haemorrhagiam efferre possit. Obstetricatores nonnulli experientissimi

mi

---

*k)* STARK Arch. St. III.



mi *l*) haemorrhagiam sic explicant: Causae haemorrhagiarum iure ex strangulatione penduli polypi in orificio uteri, repetendae sunt, quum ex ipsa strangulatione magna in polypo sanguinis copia retineatur eiusque vasa extendantur *m*). Nemo igitur haemorrhagias necessario oriri debere, inficiabitur. Licet vero plerumque sponte sedentur, minima tamen corporis concussionem, redeunt. Haemorrhagia non minus oriri potest, si polypus, vi externa laesus est, et per omnia, quibus vasa polypi rupta sunt.

### §. XI.

Jam de diagnosi haemorrhagiae a polypo manantis, sermo erit; interdum diagnosis  
hujus

---

*l*) LEVRET Observ.

*m*) LEVRET l'art des accouchements.

huius morbi difficillima est: Decursus polypi e fundo uteri nati hic fere est: Sentit mulier abdominis tumorem, una cum pondere in regione hypogastrica. Si fluxus menstruus cessat, aegrotam gravidam esse, facile suspicioni locus est, et tunc solummodo exploratione interna cognitio morbi est acquirenda. Polypo nascente, paulatim orificium uteri dilatatur, et hoc in statu interdum haemorrhagiae occurrunt; tunc polypus sensim sensimque per orificium in vaginam descendit, quem descensum, saepissime dolores parturientium similes concomitantur, et praesertim si stylus polypi in orificio strangulatur, tunc haemorrhagias vehementissimas oriri videmus. Nunc polypus mirum in modum accrescit, et molestias, quas iam antea effecerat: multis aliis auget. Fluor etiam albus a polypo produci potest: Sed haec omnia non nisi exploratione cognoscere  
pos-

possumus, illa enim certiores nos reddere debet, utrum polypus horum phaenomenorum causa sit, an alia ad cognitionem causae via sit sternenda *n*). Sed insistam in diagnosi polyporum; plura et praesertim de morbis qui polypo uteri commutari possunt, in libris, ubi ex professo de polypis agitur, invenienda sunt.

§. XII.

Venio nunc ad prognosin haemorrhagiarum e polypo ortarum; pauca mihi de hac erunt dicenda. Patet per se, quo vehementior et longior haemorrhagia durat, eo difficillior eius curatio; praesertim ad vires aegrotantis respiciendum est; ceteris paribus, polypum fundo uteri adhaerentis Curatio, difficillior est,

---

*n*) MARTIN Journal de Medecine.

est, quam polyporum aliarum specierum; et sic ad curationem ipsam, transgredi possumus.

Curatio haemorrhagiae a polypo uteri originem ducentis, praesertim ad solutionem spectat: variae sunt ligaturae methodi, de quibus chirurgia tractat, polypo soluto haemorrhagia tractanda est, modo iam descripto, et adhuc describendo.

### §. XIII.

Sequitur nova haemorrhagiae species, et quidem, haemorrhagia ab uteri scirrho orta. Scirrhus vero dicitur, si glandulae uteri induratae sunt: haec induratio, aut ab inflammatione, aut a violentia, aut a luis venereae reliquiis, originem ducit: per metastasin non minus oriri potest, et tunc absque inflammatione praegressa, invenitur. Vel totum uterum,

rum, vel unam alteramve partem, vel fundum, vel cervicem, vel orificium occupat o).

§. XIV.

Quoad causas, scirrhus in utero natus comprimit vasa vicina, per molem suam, nunc oriuntur expansiones varicosae, quae rumpuntur tandem, et haemorrhagiam producunt p). Scirrhus in cancrum abiens, ex erosione ab acri sanie vasis, profluvia facile excitat, in plerisque casibus febris hectica, vel hydrops oritur.

§. XV.

De diagnosi sequentia notatu digna sunt: Sentit aegrotans in regione pubis et hypogastrica, pondus quoddam, corpus extenuatur,  
men-

---

o) HERSCHFELD Diff. de uteri scirrho, Goett. 1785.

p) ASTRUC l. c.

menſium fluxus ceſſat, et hoc ſignum, cum pondere in regione hypogaſtrica, graviditatem, mentitur; exploranti abdomen manui, tumor durus reſiſtit, dolens fit expansio, quae ne quidem manus quandoque tactum ferre poteſt. Inflammantur nonnunquam vicinae partes, languet modo appetitus, modo nimis viget. Febris hectica, typice erratica obſervatur. Rarae et moleſtae ſunt lotii excretiones: In vagina, exploratione interna, uteri deſcenſus notatur, quin extra vaginam, quandoque durus, tumefcens uterus prolabitur *q*). Corpus uteri et orificium praeter morem tactui duriora, occurrunt. Viri acceſſum aegrius fert femina. Femina hoc malo inveterato laborans, ſterilis manet; totus ſi uterus nondum ſcirrho correptus eſt, conceptio quidem fieri poteſt, ſed

---

ſcirr-

*q*) RUYSCHII Obſerv.

scirrhusa durities, extensionem ulteriorem non patitur, et abortum excitat.

§. XVI.

Sed quid de prognosi haemorrhagiae e scirrhuso ortae, dicam? patet per se, scirrhuso nondum inveterato, curationem adhuc esse adhibendam; sed in scirrhuso inveterato, qui uterum universum comprehendit, nulla locum habet curatio. Praesertim respiciendum est ad corporis habitum. In principio paragraphi iam dixi haemorrhagiae curationem, scirrhuso iam inveterato, difficillimam, vel potius impossibilem esse: Scirrhusi nascentis medela in chirurgia tractatur, hanc ergo silentio praeterire possum.

§. XVII.

Ad aliam haemorrhagiae speciem nunc venio, ad haemorrhagiam virginum; sub nomine

vir-

virginis vero non intelligo virginem, quae nondum amore viri solidiori gavisa est: sed nullam aliam hoc sub nomine volo, quam, quae nondum peperit, et hac ex causa etiam haemorrhagiae mulierum non gravidarum in hac haemorrhagiae specie ponendae sunt; sed de haemorrhagia vetularum, quae neque partum edunt, neque fluxu mensium gaudent, in paragraphis sequentibus mihi aliquid dicendum erit.

§. XVIII.

Quod ad causas huius haemorrhagiae attinet, sequentes imprimis notatu dignae sunt: sensibilitas et irritabilitas totius systematis nervorum, laxitas vasorum, vel totius corporis, vel uteri soli, sanguinis resolutio, irritamentum quo sanguinis motus acceleratur, maior sanguinis in uterum confluxus acquisitus vel  
nimio



nimio coitu vel manustupratione, vel pediluviiis calidis, fluor albus diuturnus, praegressae dilatationes uteri, potulenta spirituosae, vermes, haemorrhoides suppressae, spasmi praesertim haemorrhagiam producere possunt. Jam supra dixi, et polypos et scirrhos uteri haemorrhagiae ansam praebere, obstructions viscerum abdominalium plures causae iam supra, ubi de nimio mensium fluxu sermo erat, notatae sunt, et igitur de causis acquiesco.

§. XIX.

Diagnosim huius haemorrhagiae speciei non difficilis, quando uterus virgineus maiorem sanguinis copiam effundit, et quidem non certis mensium periodis, de hac virgine dici potest, uteri laborare haemorrhagia, praesertim viribus deficientibus. An sanguis ex utero ipso,

ipso, an ex urethra profluat, ex sequentibus cognoscendum est: sanguis ex utero profluens non urina perfectissime mixta est, quod vero de sanguine ex urethra profluente observatur; pro secundo, an sanguis semper in eodem tempore profluat, in quo urina fluit; tertio, an ex urethra, an ex utero ipso originem fluxus habeat. Praesertim vero ad causas occasionales respiciendum est. Pulsus in morbo nascente durus, magnus, in fine morbi mollis, parvus *r*), facies aegrotantis ruber, deinde pallida invenitur etc.

Nulla haemorrhagia ut mihi videtur salutaris denominanda est, cum in plerisque casibus multae noxiae eam concomitentur, plerumque cachexiae, hydropes, vel febres hecticae sequuntur: haemorrhagia inveterata curatu difficili-  
cilioꝛ

---

*r*) ASTRUC l. c.

cilior est; haemorrhagiae a plethora originem ducentes, facilius curationem admittunt. Erosioni vasorum uteri vix medendum est. Haemorrhagiae perniciosiores sunt, quam stillicidium.

§. XX.

De curatione haemorrhagiae iam nonnulla in curatione fluxus nimii mensium dixi; sed liceat mihi nonnulla adhuc adicere. Indicationibus quatuor satisfaciendum s); copia sanguinis uteri vasis detrahenda est, quod venae sectionibus in brachio institutis perficitur. Vis contrahens vasorum debilitatorum uteri augenda est, hoc in casu iniectiones aquae frigidae vel remedii adstringentis adhibendae sunt. e. g. iniectio aquae cum aceto, cum gummi-kino etc. remedia interna sunt spir. salis,

---

s) ASTRUC. l. c.

falis, vel aquae Rabellii vel Rc. Eff. cinam.  
scrup. semis. laud. liq. scrup. unum. Spirit.  
vitriol. acidi. scrup. duos, aquae chamomill.  
uncias quatuor M. D. S. Alle halbe  
Stunde einen Löffel voll zu nehmen. †) Vel  
tincturae spirituosae Gummi-Kino guttulae XX  
ex aqua qualibet hora. Ad fomentationem  
frigidam fumere possumus falis culin. unc.  
duas, aceti vini opt., aquae fontanae aa lib.  
unam ††) ad hancce fomentationem etiam fal  
ammoniac. adiici potest, et ubi vires maxime  
deficiunt mixturae antecedenti Extr. chinae  
addatur. Aucta uteri irritabilitas diminuenda  
est, per doses refractas remediorum narcoti-  
corum; et aucta denique sanguinis circulatio  
retardanda est; quies et corporis et animi,

pe-

---

†) BRUCH Beobacht. über kalte Aufschläge,

††) Ibid.

pediluvia frigida adhibenda sunt v). Diaeta levissima esse debet, excitantia, sanguinis circulationem augentia evitanda sunt.

§. XXI.

De haemorrhagia vetularum pauca mihi dicenda adhuc erunt. Aut sunt menses diutius consueto more pergentes, aut menses, iam pluribus vicibus deficientes, iterum fluere incipiunt, sed certis periodis: aut est haemorrhagia in sensu verbi strictissimo, quae nullos tenet periodos, sed potius sine ordine plurimum perquam copiose sanguis effluere solet. De mensibus diutius pergentibus, vel iterum per intervalla absentibus, et tunc iterum fluentibus, iam in paragraphis antecedentibus, nonnulla proposui. Causae, diagnosi, prognosis

et

---

v) ASTRUC l. c.

et medela, pene unae eademque sunt cum iis de quibus iam in paragraphis ubi de nimio mensium fluxu tractatur, mentionem feci, silentio igitur praetermittere possum, meque ad haemorrhagiam vetularum ipsam converto.

§. XXII.

Primo de causis huius haemorrhagiae agam. Inter alias notatu dignissimae sunt sequentes: Plethora totius corporis, praesertim plethora vasorum abdominalium, in specie vasorum uteri, consuetae et hoc tempore omissae venaectiones, omnes stimulationes, quibus sanguis has partes versus excitatur, e. g. pediluvia calida, fomentationes calidae, praesertim huc pertinent, sedes vetularum in carbonibus candentibus, haemorrhoides suppressae, victus nutriens etc.

Quod attinet ad diagnofin, prognofin et curationem, hae omnes in paragraphis, in quibus de haemorrhagia virginum, et mulierum non gravidarum tractatur, inveniendae funt, de his igitur acquiefcam, et ad novum haemorrhagiae genus, et quidem ad haemorrhagiam gravidarum transgrediar.

§. XXIII.

Haemorrhagiarum durante graviditate femellas vexantium prima fpecies, etfi haemorrhagiae nomen fenfu ftricto non mereatur, tamen huc pertinet. De menfibus nimirum in graviditate pergentibus hic fermo eft. Lege naturae statutum eft, mulierem, quae utero concepit, fluxum relinquere: fed experientia non adeo rara, probatum eft, periodicum menfium fluxum in graviditatis uno alterove mense ultra medium eius, quin ad finem ipfum perrexiffe.

rexisse. Hoc de casu hic fermo erit: nil refert ad rem, an fluxus mensium usque ad medium, an usque ad finem gravididatis perduret; sed hae menses pergentes peritissimos in arte viros fallere possunt *w)* quia in principio mensibus durantibus conceptionem factam esse non certa rei ratione dicere possumus.

§. XXIV.

Causæ ex quibus existi solent menses, hae sunt: sanguinis ad uterum maior determinata quantitas, quam foetus nutritio postulat; superflitem tunc sanguinem vaginae vasa partim arripiunt, et extra vaginam emandant *x)* partim ipsius uteri vascula, quae cum placenta non cohaerent, dimittunt. Ut plurimum quidem hoc sanguinis effluvium copiosum adeo

non

---

*w)* MAURICEAU Traité des mal. des femmes.

*x)* Idem l. c.



non est, ut periculum minuetur, et hac ex causa non haemorrhagia dici potest: naturale tamen non est, ideoque de hoc non minus tractari debet.

§. XXV.

Diagnosıs huius mensium speciei ponenda est: quando signis graviditatis certissimis praesentibus, nihilominus mulier menstruata est, iusto a natura constituto tempore, raro cum effectu malo; et quantitatem sanguinis, vel mensium effluentium diminutam observamus. Quid ergo rebus sic stantibus, de prognosi dicam? patet per se, si mensium fluxus non nimis est, et si nulla adsunt signa mala, tunc prognosıs etiam non adeo mala evadit; si autem maior sanguinis copia effluit, tunc abortus metuendus est. Curatio cum prognosi convenit, primo in casu ubi effectus peiores non

non adfunt, etiam pharmacis non eget, sed ubi effectus incidunt mali, et status plethoricus adest, venaesectiones in brachio instituendae sunt, diaeta parcior, potu aquae frigidae, iuncto regimini frigidiori utendum, aëri libero totum corpus exponendum. Etenim generalibus enuntiatis in arte nostra ob miram illam individui cuiuscunque varietatem, diversam idiosyncrasiam plane caremus, sicut ubivis nulla existit regula, quae exceptionem non admittat.

§. XXVI.

Longe periculosior altera species haemorrhagiae in graviditate est, sub hac nimirum intelligo, quando sanguis, menstruis semel, vel pluries iam deficientibus inopinato proruit. Haec species a prima in eo differt, quod sanguis non periodis menstruis effluat, sed uno impetu ex utero erumpat. Dum nimirum placenta

centae

centae aut alia qualibet ovuli parte ab utero avulsa, sanguis ex uteri cavo copiose profluit. Caussarum magnus exstat numerus, e. g. vehementior inspiratio, nisus vehementior, omnia quae sanguinem inferiora versus alliciunt, pediluvia calida, femicupia, coitus frequens, venaesectiones in pede institutae y), saltus, lapsus, abdominis percussio, morbi convulsivi, diarrhoea, dysenteria, omnes morbi uteri, placentae et funiculi umbilicalis, animi pathemata, emetica, purgantia fortiora, haemorrhagia narium z), grumi sanguinis, qui inter ovum et parietes uteri collecti, solutionem illius promoventes, sanguinis fluxum augent. Praedispositae praesertim ad hancce haemorrhagiam abortivam sic dictam sunt tenerae,

---

y) CHAMBON, Mal. de la grossesse.

z) De la MOTTE obs.

nerae, pingues, irritabiles, lautam diactam agentes, hystericae, quae extra graviditatem fluorem album, menses aut nimios aut irregulares perpeſſae ſunt, quae primis a conceptione menſibus fluxu menſtruo vexantur etc.

§. XXVII.

Quoad diagnofin notanda ſunt: haemorrhagiam uteri vel praecedunt, vel concomitantur, tenſio hypochondriorum, circa lumbos dolor, quandoque ſenſu refrigerii iunctus, partium externarum refrigeratio, detumeſcentia vaſorum, color faciei pallidus, pulſus frequentior cum internorum calore, alvi ſaepe ſtrictura, et parciore urinae fluxu, ſanguis quandoque per tempus ceſſans, brevi maiorique impetu revertitur, nullum plane typum tenens, et quod certiffimum et pathognomicum eſt ſignum

num, uteri orificium hiat. a) In omnibus fere gravididatis temporibus oriri potest haecce haemorrhagia. De prognosi pauca erunt dicenda; si ante medium gravididatis, et magna vehementia oritur, semper fere abortus sequitur, si ultra dimidium vero progressa gravididate apparet haecce haemorrhagia, partum praematurum efficit.

#### §. XXVIII.

In curatione huius haemorrhagiae ad tempus, quo oritur respiciendum est: in primis gravididatis mensibus, praesertim spectandum est ad foetus conservationem: si ergo parum sanguinis stillat, et mediocres sunt lumborum dolores, sequentibus opus est: quies absoluta corporis et animi, foemina itaque horizontalem servet in lecto situm, diaeta tenuis fit

anti-

---

a) MAURICEAU Obs.

antiphlogistica, absit caro, dentur vegetabilia, ni horum flatulentiam recuset ventriculi debilitas; bibatur potus diluens frigidus, serum lactis, aqua hordeata etc. Calor modice temperetur nitro, alvus quotidie aperta sit, pulso pleno frequentiore. Venaesectiones in brachio instituendae sunt; si adsunt spasmi, pulsus celer, sublata plethora, dare possumus narcoticum e. g. Syr. pap. alb. vel opium ipsum. Quando autem maior vis sanguinis uterini est orta, haec medela tarda non sufficit; si ex continuo sanguinis fluxu femina debilitatur, si pallet, si pulsus minuitur, si syncope oritur, ad ea tunc medicamenta refugiendum est, quae, ni foetum servare possunt, saltem matris avertunt mortem. Inter haec aqua frigida, topico usu praestantissimum est: instituenda sunt epithemata frigida, in addomen aegrotantis, applicandi sunt clysteres frigidi, et iniectiones

in

in uterum ipsum, quo irritato sine dubio abortus oritur: et alia iam supra enumerata medicamina. Sin abortu iam peracto, sanguis adhuc fluit, remedium omnium praestantissimum adhibendum est, Pessus (tampon) nempe de quo LEROUX scripsit *b)*, iniectionibus aquae frigidae cum aceto mixtae iam adhibitis. Nunc superest ut addam ea, quibus curatio haemorrhagiae post mediam graviditatem ortae, differt a modo exposita. Quando collum uteri tenue existit et orificium sufficienter hiat, optimum est, ruptis velaminibus, foetum extrahere, rarius autem istud eveniet; ut plurimum collum eminent, durumque est; hoc in casu denuo recurritur ad pessum, qui uterum obturando efficit, ut sanguis conglumetur, thrombus formetur, et vel omnia sileant, vel

con-

---

*b)* Traité des pertes du sang.

contractiones auctae orificium attenuent et dilatent, antequam vel sponte expellantur, vel extrahantur contenta. Ad hoc remedium non nisi post frustra adhibita mitiora supra descripta esse deveniendum, facile patebit.

§. XXIX.

Tertia haemorrhagiae species durante graviditate originem ducit a placenta praevia. Sic ea vocatur, quae ultimis ut plurimum graviditatis mensibus ex placenta, orificio, vel vicinia eius adhaerente oritur. In primo graviditatis tempore, non incommodum sentit mulier, quia tunc temporis orificium durum, atque contractum tactui sese offert. Plerumque ad octavum graviditatis mensem, collum et orificium sensim sensimque mollescunt. Hanc per extensionem vasa placentae dilatantur mox rumpuntur et tunc oritur haemorrh-



morrhagia. Primo sanguinis effluxus non nimius est; sed magis magisque orificio dilatato, haemorrhagiae est dilatatio orificii, seu partis colli uteri, adhaesio placentae in orificio, aut eius vicinia. Hanc speciem exploratione cognoscimus: eius ope invenimus in orificio substantiam carnosam, mollem, spongiosam. Prognosis facile ponenda est; in periculo versantur et mater et foetus, si ex placenta oritur haemorrhagia, nam foetu vel arte vel natura non citissime excluso parturienti frigescent extremitates, oculi caligine obducuntur, artus leviter convelluntur, et una cum foetu exstinguitur mater.

De curatione multa dicere nequeo, vita foetus vitae matris postponenda est: ut plurimum foetus iam est exstinctus, ipse vivus tamen versione nihilominus est extrahendus. Praesertim hoc valet si iam haemorrhagia aliquod

quod tempus perduraverit. Remedia quae foetu utero excluso, adhibenda sunt, iam in paragraphis praecedentibus descripta sunt.

§. XXX.

Ad ultimam durante graviditate speciem haemorrhagiarum venimus, post emissum nempe abortum, vel partum praematurum. Sed pauca vel potius nulla mihi erunt de hac specie dicenda, quia plurima in paragraphis antecedentibus dicta sunt. De prognosi adhuc dicam, quo minor pars placentae relicta est, eo minus uteri contractiones eas expellere valent. Pessus cl. LEROUX omnibus aliis remediis praeripit palmam.

§. XXXI.

Ex gravidarum haemorrhagiis, nulla sane periculosior est, nulla magis lethalis, quam  
quae

quae sub ipso partu accidit. Tunc enim vasa maxime distenta magnam copiam sanguinis subito effundunt, praesertim in malam partem haec haemorrhagia abit, si capite incuneato oritur, tunc neque diagnoseos, neque medelae certiores nos reddere possumus, quia tunc haemorrhagia interna seu occulta sic dicta oritur, et parturientis mors sine causa externa sufficiente acceleratur. Prima huius generis species est, haemorrhagia a solutione placentae c). Causae huius solutionis sunt: congestio sanguinis uterum versus, inaequalis contractio uteri ex causa spastica, huius partis placentae inflammatio, funiculus umbilicalis iusto brevior, aut circumvolutione foetus, aut nodulo in funiculo umbilicali orto, quo fit, ut durantibus ad partum doloribus, placenta

---

c) la MOTTE Traité compl. des accouch.

centa laceretur, quae eo facilius abrumpitur, quo minus structura gaudet firma.

§. XXXII.

Diagnos̄is huius haemorrhagiae facile patet, si sanguis e vagina profluit: sed difficilis est, si capite incuneato haemorrhagia oritur, tunc sanguis effluere non potest. Aegrotans debilitate magna corripitur, sudore frigido madet, in lypothimias incidit, convellitur leviter, facies pallefcit, pulsus magis magisque minuitur, abdomen intumescit, extremitates frigescent, sensuum accedit abolitio, et moritur misera, plerumque inter convulsiones *d*). Haec signa diagnostica, praesertim etiam valent in haemorrhagia occulta sic dicta. Convenit prognos̄is cum diagnosi; haec haemorrhagiae species

---

*d*) LEVRET l'art des accouchements.

cies ideo periculosissima est, quia vasa maxime sunt dilatata, ideoque maior sanguinis copia in uno eodemque momento effluere potest. Facile hac ex haemorrhagia ruptura uteri oriri potest, vel per extensionem nimiam, quam uterus a sanguine repletus patitur, vel ruptura uteri locum habere potest, vi illa, quam experitur uterus quando foetus convolutionibus corripitur, pedibus simul fundum uteri calcitrans. Haecce ruptura absolute lethalis est; rarissime vita infantis servatur hac in haemorrhagia. Quod ad curationem attinet in extractione foetus omnis rei cardo vertitur: accelerandus ergo partus, et quidem pedibus praeviis, (accouchement forcé) deinde placenta solvenda, atque extrahenda est. Extractionem foetus pedibus praeviis non aliter fieri posse, quam capite nondum incuneato, ars obstetricia docet. Si caput foetus nondum

in apertura superiori pelvis est, tunc versio est instituenda. Foetu edito, iniectiones frigidae aquae, vel aquae cum aceto adhibendae sunt. Pessum cel. LEROUX hoc in loco adhibere optimum est remedium. Capite incuneato, forceps bene applicatus, omne feret punctum. Rupto utero, foetuque nondum excluso, omnem lapidem movere oportet, ut quam citissime per vias solitas, educetur, eiusque vita adhuc superstes fervetur; mater vero gravissimo uteri rupti malo fere semper succumbit. Nonnulli sectionem sic dictam Caesaream suadent, omnino indicatur, si statim institui potest. Qua ratione vero instituat, mei non est, sed ex libris obstetriciis et chirurgicis repetatur. Alia remedia in medium iam protuli, cum de speciebus haemorrhagiarum supra descriptarum sermo erat, de his ergo acquiescere possum.

§. XXXIII.

Ad secundam huius generis haemorrhagiae speciem me converto, ad illam nempe, quae a ruptura funiculi umbilicalis vel eius vase aliquo originem ducit *e*). Notandae sunt duae species; vel oritur haemorrhagia ex parte placentali funiculi umbilicalis, et tunc ad perniciem matris spectat, vel originem ducit ex parte umbilicali ipsa, hanc plerumque mors foetus concomitatur. Sanguis si ex parte placentali effluit, matrem debilem, et omnibus symptomatibus reliquarum haemorrhagiae specierum laborantem reddit, et sanguis maiori impetu fluit; sed si ex parte umbilicali profluit sanguis, signis hisce caret mater, neque sanguis cum impetu erumpit, et foetus mox moritur. Disruptio funiculi umbilicalis vel vasis eius,

non

---

*e*) LEVRET Suite des Observ.

non aliter accidere potest, nisi circa foetum convolutus sit, vel ipse gyros et nodos formarit, eoque nimis abbreviatus sit. Denique inter labores ad partum et descensum foetus in pelvim, funiculus ipse, vel vasa eius dilacerantur, et inde haemorrhagia oritur.

§. XXXIV.

Ad diagnosin praefertim exploratione et quidem perfecta devenimus, manu nimirum per vaginam in cavum uteri ipsum immissa, quo conditionis funiculi umbilicalis, nos optime reddimus certiores. Funiculum umbilicalem ruptum causam esse haemorrhagiae, ex sequentibus conicere possumus: Quando placenta orificio uterino non inhaeret, quando foetus iam tempore graviditatis amisit vitam, et funiculus umbilicalis vel fuit nimis brevis, vel circa hanc vel istam partem foetus circum-

volutus



volutus est, et haemorrhagia non statim ab initio laborum parturientis orta erat: quando nulla inuenimus signa, ex quibus cognoscere possumus, placentam ab uteri fundo esse separatam, vel in orificio uteri ipso, aut eius vicinia haerere.

In prognosi struenda, respicere debemus praesertim ad sequentia: quo grauior haemorrhagia, eo periculosior est, in maiori periculo vita et matris et foetus versatur; quo magis situs foetus recedit a naturali, eo diutius protrahitur partus ipse, et inde etiam sanguinis effluentis quantitas maior erit: quo maior in parturiente virium prostratio observatur, eo maius periculum est: quo plura simul adsunt signa mala, eo periculosior e. g. lypothimia, syncope, vomitus, pulsus intermittens, frequens, rarus, formicans, hecticus, sudores

frigidi, caligo oculorum, convulsiones, delirium etc.

Quoad curationem, rarissime partus naturae committendus est, excepto casu quando situm foetus naturalem, vires parturientis nondum vacillantes, sed potius incrementales, situm uteri rectum, vias quae a foetu peragrandae sunt satis amplas, invenimus, tunc talis partus solis naturae viribus potest committi; sed quando invenimus situm foetus praeternaturalem, vel debilitatem parturientis, dolores ad partum vel plane deficientes, vel nimis debiles, vel situm uteri obliquum, vias non satis apertas; tunc talis partus aut ope versionis, aut si versio sit impossibilis per haec vel ista instrumenta est absolvendus. Remedia interna et externa iam descripta sunt.

§. XXXV.

Ad ultimum genus haemorrhagiarum nunc venio, ad haemorrhagias, inquam, post partum, sive puerperarum, et quidem ad primam speciem, haemorrhagiam ab uteri atonia originem ducentem. Atonia uteri dicitur, si uterus foetu excluso sese contrahere in statum naturalem non valet: vasa, quae placentae adhaeserant, adhuc aperta manent, et claudinequeunt, ob omissam uteri contractionem, et inde haemorrhagia oritur. Causae atoniae sunt inter alias: uterus ultra modum distensus, vel placenta maiori, vel aquis, vel foetu monstroso, vel gemino, hydropico, tympanitico; *f*) debilitas, ex praegressa alia haemorrhagia, morbo, consueta cacochymia, chlorosi, frequenti partu; partus difficilis, re-

tar-

---

*f*) LEVRET Suites des Observ.

tardatus *g*) animi pathemata, ovuli integri  
secessus, *b*) obstructiones vasorum uteri, quae  
contractiones fibrarum uteri impediunt, de-  
fectus elasticitatis uteri. Praesertim ad ato-  
niam uteri foeminae sunt dispositae, quarum  
constitutio corporis est laxa, spongiosa, pitui-  
tosa, quae morbis chronicis debilitatae sunt,  
frequentes dolores, et nifus sese constringendi  
vim fibrarum muscularium uteri adeo debili-  
tant, ut plane languescant etc.

§. XXXVI.

Diagnosıs huius mali acquiritur manu ab-  
domini imposita, quae solitum contracti uteri  
tumorem circumscriptum non percipit; manu  
etiam in uterum ipsum immissa, eius atoniam

fen-

---

*g*) MAURICEAU Obf.

*h*) LEROUX Traité des pertes du sang.

sentire possumus. A lochiorum fluxu haemorrhagia longe differt: in fluxu lochiorum non invenitur prostratio virium, sanguis non magno cum impetu profluit, ante eruptionem sanguinis quidem molestiae quaedam adsunt, hae vero in ipso fluxu mitigantur.

Prognosis plerumque ad mortem spectat, nam vires aegrotantis iam partu laborioso tantopere exhaustae sunt, ut vix hanc haemorrhagiam sufferre possit: magni est momenti quantitas sanguinis perditae, et constitutio corporis aegrotae.

De curatione haemorrhagiae ab atonia uteri ortae, dicere nonnulla restat: iniectiones aquae frigidae adhibendae sunt, ut fibrae musculares irritentur ad contractionem: manu in uterum immissa grumi sanguinis, et quaecunque ibi occurrunt, quae plenariam eius contractionem impedire possint, auferantur, et manus denuo

immiffa in pugnum formata, leniter iam agitata, ut ftimulus excitetur, ibique relinquenda, usque dum contractio uteri incipiat: aut manu in hypogaftrio puerperae molliter uterus premendus, fimul movendo manum per totum hypogaftrium ut uterus contrahatur: his vero frustra adhibitis, peflus LEROUX applicandus erit. Orificium uteri non minus leniter digitis irritandum, uti LEVRET *i)* commendavit, quod remedium non sine efficacia repertum est. Facile est explicatu orificium adeo fenfibile, digitis aut alia re irritatum univerfum uterum in fui confenfum trahere. De remediis internis et diaeteticis quiefcere poffum.

§. XXXVII.

---

*i)* l. c.

§. XXXVII.

Ad secundam haemorrhagiae speciem post partum nos vertamus, ad haemorrhagiam a relicta parte placentae ortam, quae partu peracto oritur. Placenta saepe una parte ab utero solvitur, altera firmiter adhuc adhaerente; ex vasis uteri, ubi placenta iam soluta est, hiantibus, sanguis effunditur et nisi subito auxilium, placentam auferendo adhibeatur, pessima mala expectanda erunt; similia accidunt, si placenta exclusa, particula eius relicta est; idem quoque a sanguinis grumis in utero retentis quandoque effectus fieri potest *k*). Causae huius haemorrhagiae plerumque sunt: contractiones uteri inaequales, adhaesiones placentae inaequales, tractio- nes immodicae in funiculo umbilicali, inflam-

ma-

---

4) CHAMBON T. II.

matio partis unius placentae etc. Huc etiam pertinet illa haemorrhagiae species, quae oritur quando uterus inaequaliter contractus, vel totam vel aliquam partem placentae includit; status ille sub incarcerationis placentae nomine notus est. Extracta artis ope placenta, evenit ut licet non statim semper post operationem hoc fiat, post aliquot adhuc horas haemorrhagia insignis sequatur. Nec mirum nobis videbitur, nam sanguis sacco incluso non effluere prius potuit, nisi saccus per exclusionem placentae, ad nihilum redactus fuerit.

§. XXXVIII.

Diagnosin huius haemorrhagiae speciei, ex sequentibus signis colligere possumus: ex absentia corporis mollis spongiosi in orificio uteri, ex sanguine qui excernitur, hic enim vel est tenuis, floridus, vel si cum aqua com-

mif-



miscetur, exhibet fibrillulas, plus minus sub-  
tiles. Quando versio foetus incaute fuit in-  
stituta, ita ut manus immissa separationem  
placentae produxerit; ex signis praesentibus,  
quae indicant, funiculum foetus vel esse nimis  
brevem, vel circa collum foetus, vel aliam  
partem circumvolutum: ex situ foetus, qui  
vel naturalis, vel talis est, ut funiculus magis  
magisque extendatur: ex eiusmodi causis  
praegressis, quae separationem placentae ab  
uteri fundo efficere possunt, quales v. g. sunt:  
violentiae externae, ut percussiones, calcitra-  
tiones abdominis et regionis uteri etc. interim  
haec omnia signa non sunt certissima. In prog-  
nosi ea notanda sunt, quae iam in omnibus  
haemorrhagiae speciebus antecedentibus notata  
sunt: unicum adhuc monendum erit: quo mi-  
nus particulum placentae relictum est, eo pe-  
riculosior, quia contractiones uteri hocce par-  
ticulo-

ticulum non eliminare possunt. Melior si tota adhuc placenta in cavo uteri est inclusa, quia hanc leviter solvere atque extrahere possumus. Incarceratio placentae diutius durata, periculosissima est ob inflammationem facile oriundam.

Omnis curatio a manu expectanda est, cuius ope vel tota placenta, vel pars eius relicta extrahi debet, sed methodus nova, ad placentam expellendam a Doctore BRUCH 1) inventa est: de curatione mihi ergo nihil praeterea dicendum erit.

§. XXXIX.

De haemorrhagia ab uteri inversione orta, nunc verba facienda erunt. Fabile intelligere  
pos-

---

1) BRUCH Abhandl. v. kalten Umffschlägen in Gebärmutt. Blutst.

possimus uterum inversum sese contrahere non posse, et tunc porro sequitur, vasorum uteri ostia non claudi posse, sanguis ergo e viis apertis effluere debet, et inde haemorrhagia oritur. Varii sunt gradus inversionis, quibus uterus obnoxius esse potest; sic quandoque fundus uteri tantum deprimitur, uti hoc a nonnullis iam observatum est *m*). Quandoque corpus eius ex parte simul reflecti potest *n*), nec non uterus universus hancce inversionem saepius patitur. Causae hancce inversionem efficientes multiplices sunt, inter alias hae notatu dignissimae sunt: vel in uteri ipsius culpa, vel in culpa obstetricantis quaerendae sunt: licet quandoque etiam inversio haec ab obstetricante effici possit, nec tamen

ipse

---

*m*) LEVRET Observ.

*n*) LE ROUX Observ.

ipſe accuſandus fit: uti hic caſus ipſi LEVRET o), partum forcipe abſolventi contigit: oriri poteſt a nimis violenta extractione placentae, etiam a verſione foetus, feſtinantius evulſi, nec minus e partu praecoci. In nonnullis caſibus muſculi abdominales adhuc expulſo iam foetu, in uterum premunt, et uterus debilitatus reſiſtere nequit. Obſervationes invenimus apud MAURICEAU p ).

§. XL.

Diagnofis in diverſis gradibus etiam diverſa, vel levior vel difficilior eſt. In gradu

pri-

---

o ) LEVRET Obſerv. 35.

p ) MAURICEAU l. c. T. II.

primo, ubi modo fundus uteri est delapsus, huncce fundum, dum explorando manum in partes immittimus, in orificium uteri detrusum invenimus: placenta adhuc adhaerente facile cognoscitur ille casus, sed exclusa iam placenta, facile haec inversio pro polypo habetur; sin vero manu altius progredimur, facilius diagnosis frueri possumus; nam polypus stilo suo adhaerens etiam in hocce stilo tenuior fit, sed hoc non in utero inverso invenimus. Quando vero uterus inversus per orificium descendit, diagnosis etiam difficilior, praesertim si inversionem invenimus perfectam. Inter alia haec sunt signa diagnostica: in inversione completa plerumque et vagina inversa est,

est, quod in polypo non invenitur: uterus inversus sensibilior est quam polypus: uterus reponi potest, sed non polypus; haec omnia interim in chirurgia tractantur.

Ad prognosin venio: quilibet huius reflexionis gradus, maximo semper cum periculo iunctus est; quam cito enim subsequens in quolibet gradu inversionis haemorrhagia foeminas e medio tollere valeat, ex citatis iam iam auctorum observationibus abunde liquet. Interim tamen negandum non est, ultimum reflexionis gradum semper esse maxime exitialem, ut et repositio maxima cum difficultate in hoc casu absolvitur, quo magis inertiae gradus, quae omnem uteri reflexionem

nem

nem concomitatur, in hoc ultimo maior semper reperitur, unde gravior etiam haemorrhagia sequatur necesse est.

Quod ad curationem attinet: varii quidem existunt inversionis uteri gradus: in omnibus requiritur repositio, manu perita ac in chirurgia bene versata, instituenda: qua peracta utero semper inhaerebit, ob tanta quae passus est, incommoda, laxitas, et fibrarum inertia, quae iniectionibus frigidis, aut pessariis tollendae sunt: ante repositionem in subiectis praecipue debilioribus tantus est orificii spasmus ut repositio nullo modo fieri possit, nisi antea cum clysmatibus, tum iniectionibus emollientibus, nec non remediis

anti-

antispasmodicis interne datis, venaesectionibus illum spasmum sustuliffemus, cum nullo artificio uterus reponi possit, aegraque miseram et molestam vitam trahat *q*), aut brevi diem obeat supremum; antequam curationis huius haemorrhagiae speciei finem faciam, adhuc monendum habeo, si placenta adhuc in utero inverfo haeret, prius uterus reponi, et tunc demum placenta solvi, necesse est.

§. XLI.

De ultima specie haemorrhagiarum post partum, in paragraphis antecedentibus verba iam feci; liceat mihi adhuc nonnulla adicere;  
sub-

---

*q*) HAMILTON Treatise of Midw.



sub haemorrhagia interna five occulta intelligimus illam, ubi sanguis in ipsam uteri cavitatem sese effundit, absque ullo per vaginam profluvio. Oritur haec haemorrhagia, quando orificium uteri vi sua contractili adhuc gaudens, sese claudit, fundus vero, aut alia eius pars, inertia comprehenditur, placenta vel tota, vel ad partem soluta, quin imo euacuata modo vasa, nondum clausa, liberum sanguini in uteri cavum effluxum concedunt. Plerumque magno cum periculo iuncta est haec haemorrhagiae species. Praecipuum quod eam declarat symptoma est syncope, secundum LEVRET r) qui et alia signa in sequenti pa-

ra-

---

r) L'art des accouch.

ragrapho subiungit. Orificium emollientibus  
et antispasmodicis, aperiendum est, et tunc  
remedia antea dicta adhiberi possunt.

TANTUM.

---

THE-

*T H E S E S.*

---

I.

Sapo e pharmacorum numero nequaquam est  
proscribendus.

II.

Specifica in sensu verbi strictissimo non dari,  
mihi persuasum habeo.

III.

Signa virginitatis, omnia sunt fallacia!

IV.

Vomitoria in apoplexia magis nocent quam con-  
ducunt.

V.

Obstructio non semper hydropis est causa.

VI.

VI.

In haemorrhagia uteri parturientis, ex placenta orificio uteri inhaerente orta, optimum est remedium foetus versio.

VII.

Terrae ponderosae salitae vires nequaquam particulis arsenicalibus adhaerentibus, adscribendae sunt.

VIII.

Vermium femina intestinalium nobiscum conascuntur.

IX.

Datur omnino febris, quae puerperarum nomine, determinari potest.

X.

Placentae solutio, non semper naturae relinquenda.

XI.

XI.

Quies post coenam magis prodest, quam motus.

XII.

Morbi contagiosi sensim sensimque mitiores fiunt.

---

# CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.

ERN. GODOFR. BALDINGER, DR.

---

*L*ugent mecum, Candidate dignissime, incolae ciuitatis Marburgensis praematuram mortem Patris TUI, antecessoris mei, quem ego paucos dies ante obitum suum exosculatus sum. Repeto, lugeo mortem TUI Patris, Viri candidi et sinceri, et quod praestat, amici olim mei, quem primum Cassellis vidi et amare cepi.

*Sed hodie laetor, Candidate, si quis unquam, dignissime, de TUA in me amicitia. Etenim inueni in TE amicum candidum, sincerum, probum, ut vere nescius sim,*

*sim, quibus modis remunerare queam amicitiam TUAM.*

*Liceat mihi publice fateri hodie amorem in TE meum. Si qua data unquam mihi occasio inserviendi TIBI, non dubites rogo, de voluntate mea. Scripsi d. 24. Jun. 1795.*

---

